

arena duxit ad perfectum, haud similem in totius Burgundiæ ducatum.

Item Remigius, ab eo ad partes Wasconię directus, videlicet monasterium Regulam¹⁾ dictum, eleganti consummavit opere dormitorium fratrum. 42. Cuius bonę conversationis titulis usquequaque refusis, peperere magnam Dei viro Gauzolino famam in tantum, ut²⁾ multi nobilium, mundialis vitę nugis abdicatis³⁾, in palestra huius loci⁴⁾ se sub proposito sanctę traderent religionis.

Nec minus etiam ab extimis Hispaniæ secessibus alii a puero in divina observatione enutriti, nonnulli⁵⁾ apice pastoralis curę sublimati, patria rebusque spretis⁶⁾ presentiam ex peterent⁷⁾ huius nobilissimi Salomonis; inter quos quidam duo germani, a Barcinona urbe profecti, presentiam decreverunt expetere tanti diffamati principis, quorum unus nomine Iohannes, in monasterio sanctę Dei genitricis cognomento Rivi pollentis⁸⁾ a pueritia sacris imbutus litteris, petalum promeruerat curę pastoralis, scilicet abbatię sanctę Cęcilię virginis et martiris sitę in cuiusdam vertice montis⁹⁾. Alter vero vocabulo Bernardus, a quibusque nobilium sub tyrociniō milicię secularis est instructus, sed quoad possibile laico, Deo subditus, qui florentis fortunę abiectis deliciis, quodque mirificum est, tedis nuptialibus spretis, ignesque animi igne superans superne contemplationis, cum proprio germano Floriacum usque locum, ut prelibatum est, devenit ibique habitum sanctę religionis humiliter quęsivit et reverenter suscepit¹⁰⁾; ambo unanimes in Dei servitiō, ambo prepollentes monastici ordinis privilegio, qui inter multimoda, quę huic summo duci monachorum contulere donaria, tres haud modici precii albas, supra et infra auro politas, evangelii quoque textum argento vestitum, auro suberatum, ad cultum divini contulere servitiū; in quo etiam libro versus pretitulaverunt¹¹⁾ istos:

O Benedicte pater, Iohannis suscipe vota,
Bernardique tui semper memor esto fidelis.

1) la Réole im Bordelais (Delisle). 2) Von hier an stimmt ein Theil dieses Capitels wörtlich mit IV, 7 der Miracula des Andreas. Certain p. 182 und Acta SS. Mart. III, 354. 3) Miracula: abnegatis. 4) Miracula: huius loci Dei et Domini nostri se dedere ditioni, sub proposito sanctę religionis. 5) Miracula: alii. 6) Miracula: abdicatis. 7) Miracula: petiere huius principis Dei; magni existimantes si liceret conspectibus perfrui, cuius erant doctrina et magisterio informati. Videres affluentium agmina undecumque concurrere et tamquam uno ore proclamare illud nobile vaticinium Isaia: 'A finibus terrae audivimus laudes, gloriam iusti'; et Psalmistae: 'Etenim benedictionem dabit legislator'. Cuius benedictionis ut participium mererentur quidam duo germani nectare tacti superne inspirationis, a Barcinona urbe profecti communis protectoris nostri sacrosanctum expetiere tumultum; quorum unus etc. 8) Abtei Ripouil (Delisle). 9) Kloster Notre-Dame du Mont-Serrat. Cfr. Mabillon, Ann. IV, 207 und Marca hisp. 333 ff. (Delisle). 10) Bis hierher reicht die Uebereinstimmung mit den Miraculis. 11) Hs.: pertitulaverunt.